

CLANGOR

Et nota quod quatuor sunt elementa, scilicet ignis, aer, aqua, & terra, Quia quodlibet eorum est compositum ex duobus primis qualitatibus, & non ex pluribus, sicut ignis ex caliditate & siccitate, aer ex calido & humido, aqua ex frigido & humido, terra ex frigido et sicco. Item caliditas in igne est eius qualitas essentialis, & siccitas eius qualitas accidentalis. In aere humiditas est eius qualitas essentialis, caliditas vero accidentalis. In aqua humiditas est eius principale vel essentialis, sed frigiditas est eius accidentale. In terra siccitas est eius principale principium vel essentialis, & frigiditas accidentale. Item ignis est calidus proprie & siccus a proprietate. Nam caliditas maior est in re, a qualitatibus quam a proprietate. Ita intellige de alijs qualitatibus elementorum. Item de principio elementorum quatuor dicit Myretis. Scito quod terra prius fuerat aqua, deinde in lapidem versa & petrosa facta est, aqua vero prius fuerat aer, deinde liquefactus est, & inspissatus & in aquam versus est, aeris autem principium ignis erat, quia ex igne spisso. Ignis vero principium caret, suo creatore excepto. Et nosce, quod terra corpus aquæ est, de terra autem fit homo. Ignis autem tribus non desistit elementis, quo et tria persistunt. Et de elementorum eorum gradibus dicimus. Quia ignis prout est in mixtione, est calidus in quarto gradu, & siccus in tertio. Et

*De gradib.
elementorū*

Et